

ne magno , planeque paratissimo , primis septembris diebus Alpes trajecit , atque Astam venit . ibi illum Ludovicus cum muliebri uxoris Beatricis comitatu , & Joannes Galeatius fratris filius , Herculesque Atestinus focer obviam progressi venientem exceperunt : qui cum de rebus utriusque Ludovicus collocutus , cum eisdem illis , quos adduxerat , Ticinum rediit . Ea itio atque reditio itinerum omnium postrema Joanni Galeatio fuit : profluvio enim ventris , ut videbatur , lectulo impositus , ut vero creditum est , veneni a patruo dati hauſtu , inſequente mense periit . tantum in animis mentibusque hominum mala regnandi cupiditas atque ambitio potest . Carolus inter hæc Astæ cum esset , Aloisium Genua , mutato consilio , accersivit , ibique jussit esse . Erat autem Aloisii oppidum Asta , quod quidem ejus avia dotis nomine a patre Mediolani rege acceperat . Ipse puſtulis correptus est , eoque in oppido commoratus dum convalesceret , itineri deinde se dedit , atque ad diem duodecimum calendarum novembris Placentiam pervenit . Processerat eo una cum illo Ludovicus , qui postridie ejus diei de fratris filii morte nuncio accepto , Mediolanum rediit , urbemque in veste regia perambulans , salutare regem se non modo passus est , sed maxime omnium voluit : neque enim minus id deliberatum propterea fuit , quod Joannes Galeatius moriens duos liberos Franciscum & Mariam superstites reliquisset .

1494
Caroli VIII.
in Italiam
adventus .

Jo. Galea-
tii obitus ,
XIII. kal.
novemb.

Carolus , qui antequam e Gallia proficisceretur , tametsi Florentinis ostendisset se per eorum fines iter Neapolim esse facturum , per Flaminiam tamen ire constituerat , ob eamque rem exercitus sui partem eo miserat , cum Laurentii Medicis Florentini civis suasu , qui cum Petro Medice propinquo suo , cujus erat in potestate civitas , magnas atque acerbis simultates exercebat , tum Ludovici , qui eundem Petrum , quod is , uxore ex Ursina gente ducta , in eorum atque Alfonsi partes se traduxerat , ingenti odio prosequabatur , ire Florentiam decrevit . Ea res Florentiam perlata , civitatem ad novum atque sub-